



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

345. Quandonam censeantur vota electorum publicari in ipsa electione, & an ideo electio reddatur irrita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

fenestellam montalium vota auriculariter excipiente. *Garc. n. 191. Pass. n. 6.* Ratio responsionis est, quod Trident. plus non decernat, quam ut dicta electiones fiant secretae, & vota eligentium nunquam publicentur; utrumque habetur, etiam si vota eligentium sciuntur à Scrutatoribus; Concilium enim Lateran. in dicto *c. quia propter*, censuit, adhuc electionem esse secretam, & vota eligentium minime per hoc publicari; quod autem vota & nomina, à quibus data publicari sic possent per scrutatores, nihil ad rem facit; cum Tridentinum non vetuerit, vota posse publicari, seu non statuerit electionem fieri adeò secretam, ut ne quidem publicari possent, sed ne actu publicarentur; adde, quod, cum Trident. *loc. cit.* loquatur indifferenter de Electoribus Abbatisfarum, & aliorum Prelatorum regularium, adeòque necesse non sit vi dicti Concilii, horum electiones esse magis secretas, quam illarum, quæ, ut dictum, fieri possunt ore tenus & auriculariter. *Pass. n. 7. & 8.*

*Questio 345. Quandoam censeantur vota electorum publicari in ipsa electione, seu per revelationem intrinsecam electioni, & num propterea electio reddatur irrita?*

**R**espondeo ad primum, id fieri Primum: si Electores, adhibitis, vel non adhibitis scrutatoribus, publicè altà voce, ut à Capitulo audiantur, darent suffragia; verumque id est, etiam si unus solum eorum det publicè suffragium, modò id fiat consentiente & permittente (etiam si ista permissio & non contradictio oriatur ex ignorantia, quæ ignoratur tale votum datum publicè sive ex ignorantia, sive ex scientia nullum esse, & invalidare electionem; *Barb. ad c. 6. sess. 25. Trid. Pass. n. 15.* vel etiam ex aliqua tantum reverentia & timiditate sine malitia & dolo, & non ex metu cadente in virum consultantem. *Pass. n. 14. contra Raggium p. 2. dub. 197. n. 2.* saltem majore parte capituli (quæ limitatio additur, ne si etiam invitâ majore parte Capituli datum publicè tale suffragium redderet electionem non secretam, & consequenter invalidam, major pars nunquam posset concludere electionem, si pars minor nollet; hæc enim aut unus de ea, posset eligere publicè, & sic electionem reddere nullam) *Garc. loc. cit. n. 195. Barb. de jure Eccl. l. 1. c. 5. num. 205. Peyr. to. 3. de priv. l. c. 9. n. 23. Castel. de elect. c. 5. n. 25. Pass. n. 13.* Secus autem est, & censetur in hoc casu adhuc secreta electio, ubi capitulum, aut Præses ejus, uti debet, id prohiberet, & contradiceret votum tale (utpote revera ipso jure nullum, quippe datum, & contra formam & decretum irritans. *Pass. n. 14.*) non computando inter suffragia, ac si datum esset ab extraneo (qualis meretur haberi ille, qui contra formam nulliter eligit. *Pass. loc. cit.*) vel etiam talem (uti potest. *Garc. n. 195. Castel. num. 26. Peyr. loc. cit.*) si resisteret, privando voce pro illa vice, quæ juxta *Pass.* ipso jure talis privatus non est.

2. Secundò, si scrutatoribus adsint extranei, vel etiam quicumque alii in majore numero, quam requirat forma canonica, qui suffragantes audiant, vel eorum schedas legant.

3. Tertiò: si auditis secretò Electoribus, Scrutatores publicando scrutinium, publicent simul eorum nomina.

4. Quartò: si hæc nomina describantur in decreto electionis transmittendo ad confirmatorem, *Pass. c. 17. n. 12.*

5. Quintò: si confirmator in literis confirmato-

riis eadem nomina publicet; censetur enim adhuc talis publicatio facta in electione, utpote quæ durat, donec confirmata sit. *Barb. ad sess. 25. c. 6. num. 8. Garc. p. 5. n. 197. Suar. cit. l. 2. c. 5. Pass. n. 12.*

6. Sextò: si, ubi electio ex speciali statuto prohibente cum decreto irritante Scrutinium auriculare (de ceterò enim sicuti in Scrutinio auriculari, sic etiam in eo, quod fit per Schedas, nil vetat, eligentium nomina scribi à Scrutatoribus) eò fine, ut ne quidem Scrutatoribus innotescant nomina eligentium, si inquam, in eo casu plures, vel etiam una scheda notata esset speciali aliquo signo, unde Scrutatoribus, vel etiam uni eorum innotesceret nomen eligentis per talem schedam, talis electio foret non secreta, non vi Tridentini; sed vi talis specialis statuti. *Pass. n. 18.* Adhibita tamen iterum priore limitatione, nimirum, ut id fiat sciente & permittente majore parte Capituli, non verò eo id ignorante vel contradicente; licet enim de ceterò defectus formæ munita decreto irritante non recipiat remedium ex ignorantia; non est tamen in præsentem verisimile, statuta utriusque illius Concilii patrocina fuisse fraudibus, & stravisse viam ad affligendos innocentes, uti fieret, si unum alterumve, vel etiam plura vota publicata irritare possent electionem de ceterò ritè habitam à majore parte; sed dicendum, formam eligendi secretò statutam à dictis Conciliis excludere publicitatem commissam à majore parte, sive dolo, sive per ignorantiam, vel ab ea sciente permissam; non verò commissam à minore parte, majore vel non sciente, vel contradicente, *Pass. n. 19. & 20.*

7. Septimò: si quis alicui ex Electoribus det propriam schedam, plicatam tamen, & tantum mittendam ab eo in urnam: scheda enim talis quam quisque potest legere, si vult, sive id possit licitè, sive illicitè, non est secreta quoad substantiam; & qui schedam propriam modo dicto dar alteri, ex modo eligendi proprium nomen publicat in ipsa electione, adeòque talis recepta & projecta in urnam ab eo, qui scrutator non est, reddit electionem in suo esse, & in seipsa non secretam quoad substantiam (etsi hæc maneat secreta per accidens, dum recipiens schedam illam non legit) cujus tamen contrarium vult Concilium prohibens publicationem secundum substantiam, & non quatenus illicitam, vel injustam. *Pass. n. 27. contra Pasqual. decis. 261.* unde etiam tam porrigentem dicto modo schedam, quam scrutatorem eam respicientem peccare, ait, graviter, utpote agentem contra duorum Conciliorum decreta, etiam si per accidens non lectâ schedâ nomen eligentis nunquam innotescat. Secus tamen est, & non violatur secretum, dum Elector non potens propriâ manu mittere schedam in urnam, accedit ad scrutatores, & ipsis videnticibus tradit illam alteri, qui mox videnticibus scrutatoribus eam projicit in urnam, *Pass. n. 28.*

8. Respondeo ad secundum, dum nomina Eligentium dictis modis publicantur in ipsa electione, electionem esse nullam, *Pass. n. 12.*

*Questio 346. Num igitur etiam irritetur electio per hoc, quod scrutatorum aliquis extra electionem publicet nomina eligentium?*

**R**espondeo primò: tametsi talis Scrutator non solum expressè revelando privatim alicui, quod hic vel ille Elector tali dederit votum suum; sed etiam loquendo taliter, unde id colligi, imò unde de eo dubitari possit, an non hic istum vel illum